


ALSATIA SUPERIOR. 29



Alsatia nomen quod Germani Elfas vocant, nō est vetustum vocabulum; cū olim habitatores eius Tribōchi & Tribores fuerint vocati. Sunt enim qui putāt metropolim Alsatiæ olim fuisse Argentinam, eamque exstructam à Treuirensibus, qui à principe Trebeta originem duxisse hætenus putabantur. Et cū postea Treuirenses Coloniam deducerent in eum locum, quem hodie Argentina occupat; dicti sunt Coloni illi à Treuirensibus Tribōtes. Nomenclaturam verò Alsatiæ putant longè postea ab illa fluuiō. a in i mutato, exort: m, vnde & quidam eam regionem Illsafs & non Alsafs appellatam asserunt. Sicut rursus alij fluuium centēdunt vocatum Alsafs. In libro militarium ludorum vocatur Edelsas, quasi nobilis sessio. Diuiditur autem Alsatia in superiorem & inferiorem. Superior quæ Sunggoiam contingit, habet multa dominia. nam haud procul ab oppido Thast est ditio Abbatis Marbacensis, in qua sunt Vvatviler, Gebviler & alia quædam oppida: hinc sequitur Mundat, id est, Munus datum, quod includit, Sultz, Rubeaquum & multa alia oppida Episcopo Argentinēsi subiecta. Huic dominio adiacet Landtgrauatus in superiori Alsatia, nempe oppidū Ensheim cum multis villis. Is Landtgrauatus peruenit ad ditionem Alberti Comitis Habsburgensis, patris Regis Rudolphi, circa annum Christi millesimum ducentesimum. Terminatur Alsatia ab Oriente ad Rhenum, & ab Occidente ad Vosagum montem qui Lotharingiam à Germania diuidit, extenditurque à Sunggoia vsque ad ciuitatem VVeissenburg. Euomit autem mons Vosagus plurimos amnes, qui per mediterranea deuoluti Rhenum petunt, præcipuus tamen Alsatiæ fluuius est Illa, qui totam ferè percurrit Alsatiā. Quam fertilis verò sit hæc prouincia hinc colligere poteris, quòd in hoc terræ tractu tam angusto, singulis annis tanta prouenit vini & frumenti copia, vt nedum cultores, quorum ingens est numerus, hinc necessarium habeant victum, sed superest tantū vt etiam vicini quique eorum abundantia fruantur. Nam nobilissimum vinum quod apud eos crescit, continua vectura curruum, aliquādo etiam nauium, abducitur in Heluetiam, Sueuiam, Bauariā, Lotharingiam & inferiorem Germaniam, etiam aliquando in Angliā. In Sunggoia magna crescit vis frumenti. imòd per totam Alsatiæ planitiem vsque ad Argentinam hæc frumenti vbertas inuenitur, vnde Lotharingæ mōtes inhabitantes, Burgundia & bona pars Heluetiæ cibantur. In montibus & collibus decoquitur optimum vinum, & in plano prouenit frumentum, & arborum fructus. Habet quoque Alsatia in montibus syluas castanearum, habet montes turgentis minæris argenti, cupri & plumbi, præsertim in valle Leberthal. Habet præterea in montibus & vallibus nobilissima pascua, id quod testantur optimi & pinguisimi casei, qui in Munsterthal conficiuntur. Et vt vno verbo dicam non est in tota Germania regio aliqua, quæ in omnibus prouentibus Alsatiæ possit adæquari. nullus est enim iuxta montes in Alsatia locus ociosus, qui non habitetur aut sit cultus. Hæc tam parua regio aded humanis vsibus est dedicata, vt in ea inueniatur quadraginta sex ciuitates & oppidula, omnia muris cincta, quinquaginta arces in montibus & plano sita: villarum verò & vicorum non est numerus. Vulgares regionem incolentes & terram colentes miseri sunt: nam per singulos annos abliguriunt bona sua, nec quicquam in futurum seruant, vnde fit, vt tempore belli, aut quando frigore vel pruina terræ nascencia deuastantur aut pereunt, patientur magnam penuriam. Iuuantur tamen pauperes ex publicis granarijs. Non habet hæc terra indigenas multos, sed maior pars sunt aduenæ, puta Sueui, Bauari, Burgundi, Sabaudi, & Lotharingi, qui cum semel regionem ingressi fuerint, non facillè hinc emigrant. Sueui potissimum ibi nidulantur. passim omnes ibi recipiuntur, qui colonis in terræ cultura cooperari satagunt. Circum Keiferspergū, quod sonat Cæsarianum montem, terra summam habet fertilitatem, vnde & cor Alsatiæ ibi esse perhibetur, inueniunturque ibi tria oppida murata, tanta vicinitate sibi ipsis iuncta, vt bombardæ iactu illa istam apprehendere possit, vocanturque Keiferspergum, Ammersvveier & Konsenseim. Ibi vinum in vasis magnis per adiectas prunas decoquitur; aut sepeliuntur vasa ipsa musto impleta in ipsis acinis & racemis expressis, quousque vis digestiua emoriatur in vino, manetque sic vinum dulce per totam hyemem, & defertur passim in alia loca, habeturque in delicijs.



ELSATIA
SUPERIOR
Ober Elsas

OCCIDENS

ELsas ist der ober Prantz von eine in Teutschlandt ist erstliche von den Baidonern bewohnt von S. Materno S. Petri nacher zu Cereyen glantz kome. In das krenste rthall in Germania seher fruchtbarkeit und wenn er holt. Der Rhein lauff durch Ranzwer of Basel gelegenheit da weilt er sich vngl. Seperiride und thu khhls gelan zu kenten seite in romulor und die zue namhafte seburg das ren le Galla Flurle heyl das kloppey seburg darn hat er ditzung wille pferat. Inse kere nander hat ze hant khdles ander geubtes khd in d'elstir rthall und in collone muelen und wasser. Der Rhein ist gold Edmen lachs fische der in and alle kenne wasser und heit in der seite. Es ist weit geubelt in drei theil. Sinnt aus Ober und nider Elsas. In Sant gas by dem tempel S. Ispolano hat Julius Caesar mit. kromste der Teutsche kome in erstliche khdliche gethan was die Romer fur khdliche. Und andere getha haben in diesen lande. zeige die erstliche antworteten an. Seine fruchtbarkeit vngl. an frucht vngl. streit und schiffen geht es vll lande von darinder Stralberg fur die furnemst gerechnet wurde. Auf der Germania seite streckt es sich von Basel bis an die Pfalz. die breite von Rhein bis an de Schwarz zueilt die funfthil Longschiff ist das Breitigau. und hat mancher Herrn Graue und potentaten zuwey.

